

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Prosperitas x cum uariis

Diuiciis et floribus et maiorum nobilitate te iactas, de patria et pulcritudine corporis et honoribus que tibi ab hominibus deferuntur te exaltas. Respice te ipsum: quia mortalis es et quia terra es, et in terram ibis. Circumspice eos qui ante te similibus fulsere splendoribus. Vbi sunt quos ambiebant ciuium potentatus? Vbi insuperabiles oratores? Vbi qui conuenientius festa disponebant? Vbi equorum splendidi nutritores? Vbi exercituum duces? Vbi satrape et tyranni? Nonne omnia puluis? Nonne omnia fauille? Nonne in paucis uersibus eorum uite memoria est? Respice sepulcra et uide quis seruus, quis dominus, quis diues. Discerne, si potes, uinctum a rege, fortem a debili, pulcrum a deformi. Memor itaque nature aliquando ne extollaris. Memor autem eris, si te ipsum respexeris.

Prosper in suis sentenciis.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

que] qui V² L¹ L²; similibus] sileribus V¹, sydereis V² L¹, syderis L²; splendoribus] diuiciis (*cor. intra*) C; ambiebant] ciuitates et *add.* C; nonne] non C, *om.* (*cor. in marg.*) M; uide] inde B; uinctum] uictum P V¹ V² L¹ L²; nature] tui esto P V¹ V² L¹ L²; aliquando ne] ne aliquando P V¹ V² L¹ L²